



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. II. Quæ pœnæ in Clericos concubinarios, & fornicarios Statutæ sint?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

Gregorii: *Cum pastor per abrupta graditur, consequens est, ut grex in precipitium feratur.*

Hinc nec illa *cap. 20. § 26. saepe allegat. dist. 81.* monitio tanquam antiquata contemenda est, qua Clericus domos foeminarum, locis aut temporibus suspectis accedere prohibetur, ne quidem sub religionis, aut charitatis praetextu, visitando forte agrum, nisi assumpto socio. *d. cap. 26. § 32.* Imò in *cap. 2. b. t.* Eugenius Papa decrevit, quòd Clericus ob nimiam familiaritatem cum foemina suspectus, si tertio

monitus, adhuc cum ea conversari, & fabulari inveniatur, excommunicationi subdi, ipsa verò foemina canonicè judicari debeat, propter contumaciam videlicet, ac vehementem inordinati amoris praesumptionem. Specialiter etiam in *cap. 1. b. t.* prohibentur foeminae ad altare accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, sive federe, quia talia munia per foeminas obire, ut ait Soter. Papa in *cap. 25. dist. 23. reprehensione plenum esse, & vituperatione nulli rectè sapientum dubium est.*

§. II.

Quae poenae in Clericos concubenarios, & fornicarios Statutae sint?

S U M M A R I A.

6. *Quaedam quaestiones preliminares de Concubinato enumerantur.* 6. *Quid concubinitus de jure Romano?* 7. *Erat frequentissimus in veteri testamento, adveniente tempore gratiae extinctus, sed Christianorum vitio rursus receptus.* 8. *Explicantur aliqua loca, quae videntur concubinitatum approbare.* 9. *Concubinitus, utut jure civili antiquo fuerit permissus ex causis probatis, nunquam tamen, matrimonio exaequatus.* 10. *Concubinitus etiam Clerum infecit, qui ferme usque ad tempora Concilii Tridentini non poterat penitus extinguere.* 11. *Boebmerus notatur.* 12. *Concubinitus jure Divino, naturali, & Ecclesiastico reprobatus, nec jure civili amplius permissus est.* 13. *Qui hodie Clerici dicantur concubinari de jure Canonico?* 14. *§ 4. seqq. Enumerantur poenae Canonicae à Concilio Tridentino in concubenarios statuta.* 19. *Fructus ante sententiam declaratoriam non tenentur restituere.* 20. *Nec sunt ipso jure suspensi.* 21. *Nec in Divinis à fidelibus vitandi.* 22. *Quomodo puniendi Clerici fornicarii.* 23. *Clerici concubinari ad abjurandas concubinas ab ordinario cogi non debent.*

Antequam de Clericorum concubinariorum poenis agamus, juvat ipsius concubinitus indolem, compendiosa narratione describere, & quidem I. quomodo apud Romanos ob-

tinuerit? II. Quando, & qua ratione inter Christianos invaluerit? III. Quare jure Civili permissus fuerit? IV. Quomodo ad Clericos transiverit. V. Quibus mediis eidem à Conciliis,

&

& SS. Pontificibus obviatum fuerit? & quo effectu? VI. Quo jure concubinatus reprobus sit?

Concubinatus de jure Romano consistebat in eo, quod Patroni plerumque thori consortio sibi adjungerent libertas suas, aut etiam ingenuas vilioriduntaxat loco natas, non aliter tamen, quam testatione præcedente, hoc est, qua sibi invicem promittebant, quod sobolis procreandæ causâ coire vellent, talis *concubina*, non vero *uxor* dicebatur. *l. 3. C. de Concup.* Et quidem *uxoris* nomine ex hoc capite non insigniebatur, quod *sine solennibus nuptiis*, & *affectione maritali* à Patrono assumpta fuerit, apparuit tamen in concubinato similitudo quædam, & umbra matrimonii in eo, quod concubina, si se alteri prostituerebat, æque, ac *uxor* in legitimo matrimonio adulterii accusari poterat. *l. 13. princ. ff. ad leg. Jul. de adult.* Deinde, quod cœlibatus tantum inter solutos, & cœlibes locum habebat, nec, qui uxorem legitimam duxit, ea vivente, concubinam sibi adjungere permittebatur, ut constat ex *l. 121. §. 1. ff. de V. O.* Quæ tamen si à viro in conjugio constituto fuit assumpta, *pellex*, non *concubina* vocabatur. *l. 144. ff. de V. S.* Quamquam hodie hæc vocabula promiscuè sumantur. Item liberi ex concubina nati non erant *spurii*, sed *naturales*, extra patriam tamen potestatem constituti. Et demum concubinatus non minus solvi poterat, ac ipsum matrimonium, quod apud Romanos vinculum indissolubile non induxit. Hæc ex Gregorio Tholosano *Syntagm. Jur. lib. 10. cap. 1.* Et ex Bœhmero *ad b. t. §. 11. & seq.*

Antequam Evangelica veritas illucesceret, apud omnes fere nationes *concubinatus* erat frequentissimus prolis habendæ, vel explendæ libidinis causâ. Prout laudatus Gregor. Tholos. *cit. lib. 10. cap. 1. n. 11. & seqq.* pluribus variarum nationum exemplis confirmat; orta autem Ecclesia, & luce veritatis illucescente, ac Evangelio per orbem disseminato, concubinatus, pessimum Zizaniorum genus, evulsus, & suffocatus fuit. Verum refrigescente pedetentim fervore Christianorum primogenio, lilia hæc rursus succrescere cœperunt, & tam altas in animis fidelium, paganorum moribus admodum corruptis, radices egerunt, ut eas nec Patres suis decretis, nec Imperatores suis constitutionibus penitus evellere, & exterminare potuerint. Videatur Bœhmerus *ad b. t. §. 11. & 3. seqq.*

Nec quenquam offendat, si forte in S. Augustino *lib. de bono conjugali cap. 5.* legerit, quod concubinatus *non absurde possit vocari connubium*, aut, quod Concilium Toletanum I. concubinarios à S. Communionem arcere noluerit, aut, quod S. Isidorus (cujus verba Gratianus refert in *cap. 5. dist. 34.*) scripserit: *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum uxorem, aut loco UXORIS, si conjux deest, CONCUBINAM.* Non inquam hæc quemquam offendere debent, quasi Patres, & Concilia concubinatum, tanquam socialitatem licitam defendere voluissent; sciendum quippe est, concubinas olim duplicis fuisse generis: quasdam ad tempus adhibitatas, quarum concubitus semper turpis apud Christianos est habitus & lege

naturali prohibitus. Alias fuisse concubinas, quæ pone iustar uxorum erant, hoc solo discrimine, quod illæ minus solenniter ductæ fuerint, sine instrumentis dotalibus, & cæteris, quæ leges tum Ecclesiasticæ, tum Civiles, ad hoc, ut aliqua fieret legitima uxor, postulabant. In his autem concubinis tria fuere necessaria I. ut uterque esset solutus. II. Ut mutuam sibi fidem darent, quod alteri nollent jungi, neque abhorrerent à procreatione liberorum. III. Quod usque ad mortem in ea vitæ conjunctione manendum sibi proponerent. Talis convictus poterat esse matrimonium clandestinum, quod eo tempore nondum erat irritatum. Et in hoc sensu intelligi debet S. Augustinus, quando scripsit, posse aliquo modo nuptias esse, & connubium. Cæterum ille talem concubinatum pro vero matrimonio absolute non habuit, sed tantum præsumptivè, ut patet ex ejus verbis *d. cap. 5. Adulteram quidem (inquit) fortassis facile appellare non audeam, non peccare tamen quis dixerit, cum eam viro, cujus uxor non est, misceri sciat?* Quod verò Concilium Toletanum Concubinariis usum S. Cœnæ permiserit, id non fecit, quasi concubinatum, tanquam rem honestam approbaret, sed ut cederet temporum illorum iniquitati, dum pauci reperiebantur, qui hoc crimine non sorderent. Unde S. Augustinus hujus disciplinæ testis *Serm. 2. in Dominicam 22. post Pentecosten*, dum concubinatus turpitudinem multis, iisque gravissimis verbis esset infectatus, subjunxit: *ideo tantum scelus a Sacerdotibus non vindicatur, quia à multis admittitur, si enim unum, aut duo, aut quatuor, aut quinque mala ista facere præjurerent, & poterant, & debebant non*

solum à Communione suspendi, sed etiam à convivio, & colloquio Christiani populi separari. Quod S. Isidorus attinet, ille dictis verbis, quibus asseruit, quod Christiano liceat habere unam uxorem, aut, ea deficiente, concubinam, non intellexit Christianum, qui secundum legem Evangelij vivit, & prout opponitur homini vitii immerito, sed locutus est de Christiano, ut opponitur *Judeo.* Etenim S. Isidorus *lib. de different. vet. & nov. Testam.* ex quo hunc locum Gratianus laudavit, omnes differentias recensens, quæ inter utrumque intercedunt, hanc unam inter alias retulit, quod judæis in lege veteri uxorum, & concubinarum esset permessa multitudo; Christianis autem in lege nova illicitum sit, etiam in foro exteriori, pluribus commisceri, vel uxoribus, vel concubinis. Non docet igitur S. Isidorus, licitum esse homini Christiano concubinatum jure cæli, ut S. Augustini verbis utar, sed jure fori in eo, quod una concubina sine pœna exteriori haberi possit, & non plures, ut in lege veteri, cujus ante meminerat. Vid. *Alexand. Natal. Hist. Eccles. tom. 3. secul. 1. dissert. 29. pag. 279.*

Concubinatum Jure Civili olim permillum, & extra pœnam fuisse, constat *ex l. 3. ff. de Concubin.* Ex ratione, ut malo hoc tolerato, majus pelleretur. Ut enim evitarentur aliorum adulteria, & plurium scortationes, Concubinatum tanquam malum minus in Republica permisit, & pœnam dissimulavit. Cæterum concubinatum, quomodocunque spectatum, matrimonio neutiquam exæquavit, sed eum viliori & depressiori loco semper habuit, nec jura uxoribus propria ad

CON-

concubinas transferri voluit. Vid. Francisc. Mendoza lib. 2. ad Clementem VIII. pro confirmando Concilio Illiberitano ubi tredecim differentias inter uxores ex vero matrimonio tales, & concubinas ex veterum jurisconsultorum responsis, & Imperatorum constitutionibus recenset.

10 Denique Concubinatus turpitudinem etiam Clerum invasisse legimus, id quod Victor III. apud Mabillonium in *Actis Benedictinis sæcul. 4. part. 2. pag. 451.* His verbis dolenter exponit: *Itaque cum vulgus Clericorum per viam effrenatæ licentiæ, nemine prohibente, graderetur, cœperunt ipsi Presbyteri, ac Diaconi, qui tradita sibi Sacramenta Dominica mundo corde castoque corpore tractare debebant, laicorum more uxores ducere, susceptosque filios hæredes testamenti relinquere.* &c. Non poterat ab hac lue per plura sæcula purgari Clerus, ut ut SS. Pontifices omnem movissent lapidem, nec quidquam intentatum reliquissent, quo serpens, & altè radicatum hoc malum extirparetur. Plura in hunc finem habita Concilia tum particularia, tum œcumenica, gravissimæque in concubinarios Clericos pœnæ constitutæ, ut constat ex Concilio Sabin. cap. 8. Toletan. II. cap. 9. Concil. Lateran. III. in append. tit. de Cleric. conjug. cap. 7. & seqq. Concil. Oxoniens. cap. 27. & seq. Concil. Londin. II. cap. 17. Concil. Mogunt. IV. cap. 102. Et denique ex Concilio Tridentino Sess. 25. de reform. cap. 14. De quo plura inferius. Hodie (quæ DEI est benignitas) Concubinatus vitium in Clero penitus extinctum est, & si alicubi titionem fortè adhuc fumantem, aut carbonem noxium sub cine-

re gliscentem deprehendas, non continuo flammam toti Clero minaces proclamam. Erunt in qualibet communitate peccantes, quamdiu in mundo homines. Ut duo quoque verba de Bœhm-^{II}mero faciam, illud consilium, quod pro reformando Clero Concubinatio suggerit §. ult. in fin. b. t. referre placeat. Scribit ibidem, quod SS. Pontifices facillè hoc vitium valuisent eradicare, si Clericis legitimas nuptias indulgissent. Erras Bœhmere, & vehementer erras. Vitia carnis non per indulgentiam carnis curare oportet, maxime in iis, qui non secundum carnem, sed Spiritu DEI vivere debent. Sed condonandum est tibi, qui carnalis homo cum sis, non percipis ea, quæ sunt Spiritus DEI.

Concubinatum utroque jure, tum ¹² Pontificio, tum Cæsareo damnatum esse, constat tum ex b. t. de cohabit. Cler. tum ex SS. Patrum gravissimis sententiis, quas prælaudatus Franc. Mendoza pag. cit. collectas exhibet, tum ex Nov. 91. Leonis, qua, quod Justinianus in l. ult. C. commun. de manumiss. male concessit, repressum fuit. Merentur verba dictæ Novellæ ex integro huc transcribi: *Neque minus ea lex (inquit Leo Imperator) quæ probrose cum concubinis immisceri non erubescitibus id permittendum judicavit, honestatem susque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore nostram rempublicam afficere sinamus, itaque lex illa in æternum fileto. Ab illa enim non modo Religionis, verum nature injuria secundum Divina, Christiani que convenientia præcepta prohibemur. Et quidem, si, cum fontem habeas, sobrie inde haurire Divino præcepto moneris: qua ratione, cum puras aquas*

haurire liceat, lutum tu mavis? tum, tamen si fontem non habeas, rebus tamen vitis uti non potes. Caterum vite consortem invenire, difficile non est. Denique Concubinitus etiam jure naturali, & Divino reprobatus existit, *Exod. 20. Deuter. 23.* & probat S. Thom. *part. 3. in Supplem. Q. 65. Art. 3. § 5.*

13 Ut porro ad Clericos concubinariorum, eorumque poenas Canonicas deveniamus, notandum est, Clericos concubinariorum hodie dici, qui cum foemina, quam vel domi suae, vel etiam extra illam alibi instar uxoris retinent, assiduam consuetudinem habent, qualis foemina, etiam *focaria* dicitur, a *foco*, quia praetextu ut plurimum artis coquinariae, cujus principale instrumentum est focus, hujusmodi mulieres per illecebras, ut loquitur Baldus, ad instar *foci* animas denigrare solent. Lotter *de re benefic. lib. 3. Quest. 33. n. 137.* Clericos proinde atro hoc carbone notatos sequentibus poenis subjicit Concil. Trid. (quod jus circa Clericos concubinariorum ex Bulla Pii V. edita 1566. potissimum attendi debet) *Sess. 25. de reform. cap. 14.*

14 I. Declarat ipsos tertia parte fructuum, proventuum, & obventionum suorum beneficiorum ipso facto esse privatos, eosque fructus fabricae Ecclesiae, aut alteri pio loco pro arbitrio Episcopi applicandos; modò tamen illi Clerici verè concubinarij sint, hoc est, consuetudinem cum muliere lasciva habeant, *cit. cap. 14.* & insuper, ut ab hac prava consuetudine desistant, praviè, & quidem specialiter admoniti fuerint, quia, ut notat Gallemart in *Declarat. ad cit. cap. Trid. n. 2.* generalis admonitio, quae fortè in Synodo, aut per edi-

ctum Generale ad omnes Clericos facta est, non sufficit.

II. Quòd si in eodem delicto cum eadem, vel alia foemina perseveraverint, nec secundae quidem monitioni paruerint, non tantum fructus omnes ipso facto amittant, sed etiam à beneficiorum suorum administratione, prout Ordinarius, etiam tanquam Apostolicae Sedis Legatus arbitrabitur, suspendi debent. *Trid. cit. loc.*

III. Quòd si nè sic quidem resipuerint, sed priorem continuant cum puellis consuetudinem, tunc beneficiis, pensionibus, & officiis quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, & officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum.

IV. Si, postquam eas semel dimiserunt, earum consortium iterum repetere, vel alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter dictas poenas excommunicationis etiam gladio feriantur. Nec quaecunque appellatio, aut exemptio praedictam executionem impediatur, aut suspendatur: cognitio tamen supradictorum non ad Archidiaconos, nec ad Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, procedere possint.

V. Demum Clerici beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, quibus privari possint, juxta delicti, & contumaciae perseverantiam, & qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac in-

inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta SS. Canones puniantur. Hæc Concil. Trid. cit. *Seff.*

19 Quæres I. An dictam privationis pœnam Clerici concubinarij taliter incurrant, ut fructus, etiam non expectata sententia declaratoria criminis, mox restituere teneantur? Resp. non teneri, ex principiis nostris in *lib. 1. Tit. 3. de constit.* jactis, ubi docuimus, leges pœnales, si temporales, & positivæ fuerint, non obligare ad subeundam pœnam ante sententiam declaratoriam criminis. arg. *cap. 15. de Hæret. in 6. & ratione ibidem adducta.*

20 Quæres II. An Clericus concubiniarius ipso jure incurrat suspensionem propriè dictam, quæ scilicet censura sit, & Clericum irregularem efficiat? Resp. cum Barbof. ad *cap. fin. h. t. n. 4.* & aliis ibidem cit. negativè. Probat. Nullus Canon assignari potest, qui hanc pœnam expressis verbis Clericis concubinarijs irroget; ergo nec nostrum est, eandem irrogare: irregularitas enim, ut constat ex *cap. 18. de sentent. Excomm. in 6.* non nisi in casibus jure expressis inducitur. Antec. probatur. Si quis assignari posset, foret præcipuè *Canon. 6. dist. 32.* Ubi Alexander II. expressè Clerico concubinario notorio interdicit, *ut missas non cantet, nec Evangelium, aut Epistolam ad missam legat &c.* Quibus verbis Pontifex satis clarè videtur innuere, eundem ab officio suspensum esse *suspensione* strictè dicta, sed ex hoc textu intentum non eruitur. Ergo. min. probatur. *Li interdico*, non idem sonat, quod *suspensio*, sed prohibitionem duntaxat indicat, non censuram, maximè quod benignior in pœnalibus interpre-

tatio sit facienda per *cap. 45. de R. F. in 6.* Interim non diffiteor, Clericum talem quoad se esse suspensum, hoc est, propter peccatum mortale sine sacrilegio Missam celebrare non posse, non verò suspensum quo ad alios. Quæ suspensio strictè talis non est per *cap. 20. de V. S.* Accedit praxis, quæ constat, quod Clerici concubinarij, post peractam pœnitentiam, absolutionem super irregularitate petere non soleant, id quod tamen aliàs fieri deberet per *cap. 1. de re jud. in 6.* P. Wiestner *h. t. n. 13.* Reiffenstuel *eod. n. 41.* P. König *ibidem n. 10.* Qui cum aliis testantur, ejusmodi suspensionem ab Ecclesia non agnoscere.

Quæres III. An non saltem Clerici concubinarij in Missis, & Divinis officijs à reliquis fidelibus vitandi sint? Resp. sub distinctione: si delictum sit occultum, ut si Clericus concubinam clam tantum habeat, vel ita in statu fornicationis vivat occultè, ut evidenter convinci nequeat, vitandum non esse, per *cap. 7. & ult. h. t. sin.* verò concubinatus, vel fornicatio notoria sit, vel per propriam Clerici confessionem, vel per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, ut si domus Parochialis quotannis nova prole augeatur, spectato jure antiquo, *cap. 5. & 6. dist. 32. & cap. fin. h. t.* expresso, omnino vitandum esse. Hodie autem post *Extravagantem Martini V.* quæ incipit: *ad evitanda scandala &c.* Possunt fideles ejusmodi Sacerdotum Missis, & aliis Divinis officiis interesse, tametsi fornicationis, aut concubiniatus crimen notorium sit, modò ipsi delinquentes nominatim, & expressè excommunicati, suspensi, aut interdi-

cti, aut notorii Clerici percussores non fuerint, utpote quos casus solum in *d. Extrav. Pontifex exceptit.* P. Reiffenstuel *b. t. f. 1. n. 39.*

22 Qualiter puniendi sint Clerici simpliciter fornicantes, citra quod sint concubinarij? Fornicatio quippe per hoc differt à concubinato, quod dicitur esse lapsus carnis cum soluta, cum qua quis consuetudinem non habuit. Respondeo, varias jure tum antiquo, tum novo decretas esse pœnas, prout videre est in *Canon. 12. § 13. dist. 81. Can. 6. § 15. ead. dist. cap. 4. § 6. b. t. cap. 14. tit. preced. cap. 13. C. 17. Q. 4. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 14. f. Clerici autem.* Unde judicis arbitrio videtur esse relictum, ut is pensatis circumstantiis, putà, qualitate personæ, gravitate scandali, consuetudine patriæ, ac hujusmodi, fornicantes Clericos jam mitius, jam acerbius puniat, jam depositione, jam suspensione, jam privatione beneficii, jam incarceratione. P. Reiffenstuel *b. t. f. 2. n. 50.* ubi in fine monet, ut judex in coercitione hujus delicti in mitiorem semper declinet partem, quia pauci sine vitio incontinentiæ reperiuntur, ut inquit Gregorius in *cap. 16. dist. 50.* & quia melius est, redargui de misericordia, quàm de severitate, juxta mentem Chrysofomi in *cap. 12. C. 26. Q. 7.*

23 Illud fortassè adhuc quæres: An Clerici, qui concubinatus crimen amplius celare nequeunt, ab Ordinario ad abjurandas concubinas cogi possint? Respondeo nequaquam id fieri debere, sed potius ad abjiciendas ejusmodi pellices per censuras compellendos esse. Rationem reddit Alexander III. in *cap. 3. b. t. Ne in eandem fornicationem insinuetu*

diabolica fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant. Unde Navarus, Menochius, Tiraquellus, & alii, quos Barbosa ad *d. cap.* allegat, communiter docent, non esse deferendum juramentum alicui cum probabili periculo, & timore perjurii per *cap. 5. C. 22. Q. 5.* Sic in simili Justinianus in *l. 2. C. de Indict. viduit. toll.* prohibet mulieres abjurare secundas nuptias, ne, ut ibi loquitur, *ex necessitate legis, & Sacramento colorato perjurium committatur, & quia inhumanum est, per leges, quæ perjuria puniunt, viam perjurii aperiri.*

Sic etiam Panormitanus ad *d. cap. 3. n. 2.* reprehendit morem quarundam Universitatum, quo studiosi tempore immatriculationis jurare debent de omnibus statutis observandis, quia per juramenta tam latè patentia probabili admodum perjurii periculo exponuntur, proinde in gravioribus, uti de *nihil machinando contra civitatem, vel Universitatem* &c. rectè quidem juramentum exigitur; quotidianis verò, & levioribus excessibus meliùs per statuta pœnalia occurritur.

Ergo (audio opponentem unum aliquem) si periculum committendi perjurii sufficiens causa est, ne alicui deferatur juramentum, malè factum est, quod in casu *cap. 2. qui Cleric. vel vov.* delatum sit juramentum Clerico, qui matrimonium de facto contraxit, ad abjurandam uxorem suam: item in *cap. 9. de Heret.* Hæretico ad abjurandam hæresin; cum utrobique periculum perjurii prudenter timeri potuerit. Respondeo resolutionem nostram eo casu procedere, quo aliud remedium æquè efficax adhiberi potest, quale remedium sunt censuræ Ecclesiasticæ, quibus

bus Clericus concubinarius ad relinquendam concubinam compelli potest. Quando verò alia remedia efficacia non suppetunt, ibi etiam juramentum deferri potest. *cap. 26. V. sic & juramentum.* Et ideò, cum in casu *cap. 2. qui Cleric. vel vow.* aliud remedium æquè opportunum non succurrerit, quippe, dum matrimonium, quod consensu contractum fuerat, dissensu distrahi debebat, & de hoc commodissimè per juramentum constare poterat (quia dissensus internus à nemine cognosci po-

test *cap. 11. dist. 32.*) meritò illud exactum fuit. Idem responderi potest ad *cap. 9. de Heret.* quamvis enim ad coërcendum crimen hæresis qua talis non deficerent alia etiam efficaciora remedia, ad excludendum tamen errorem intellectus, quem Hæreticus, vel de hæresi suspectus habuit, non appareret remedium opportunius, quàm abjuratio, qua hæresin, de præterito commissam, publicè, & solenniter detestatur, & in futurum fidelitatem promittit.

TITULUS III.

De Clericis Conjugatis.

Quia in Clericorum conversatione Cythara malè concordat cum Psalterio, ut loquitur Innocentius III. in *cap. 5. b. t.* nam, *qui cum uxore est* (ait Apostolus 1. Corinth. 2. *solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* *Qui autem sine uxore est, sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat DEO,* ideò cœlibatus, sive vita à conjugio libera, à Clericis exigitur. De hoc cœlibatu, cum annexis eidem obligationibus sub rubrica præsentis Tituli agitur.

§. I.

Quo jure cœlibatus sit introductus? Et quibus de Clero hæc lex imposita sit?

SUMMARIA.

1. Sunt, qui cœlibatum Clericis Jure Divino impositum esse asserant, quorum duo argumenta referuntur.
2. Attamen solo Jure Ecclesiastico id statutum fuisse, probatur.
3. Ratio hujus legis affertur.
4. Resolvuntur Argumenta AA.
5. Hac lege cœlibatus tenentur in Majoribus constituti.
6. Clerici in minoribus Matrimonium contrahentes beneficiis privantur.
7. Matrimonium cum una & Virgine contrahens, soluto per mortem Matrimonio licitè ad SS. Ordines promovetur.
8. Cie-